



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Ad Ampliss. V. Philippvm Hvraltvm Cevernivm Franciae Cancellarium.
Somnivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846



AD AMPLISS. V. PHILIPPVM

HVRALTVM CEVERNIVM

Franciæ Cancellarium.

SOMNIVM.



VN QUID & inter tot curas aulaque la-
bores,

Totque arumnosi perplexa negotia regni,
Otia nostra vacat curare, humileisque Ca-
menas,

Et fessam a magnis ad ludicra flectere mentes?

Scire quid in latebris noster meditetur Apollo,

Accipitrum species varias cognoscere & artes;

Qua ratione hominum ad nutus mansuescere discant,

Aegraque Pæoniis sanescant corpora succis?

Nimirum immensa complecteris omnia mente,

Nec res vel minima Phæbeia lumina fallunt.

Ne tamen hoc a me tu qui potes, exige, vt ille

Partus abortiuo nisi nec Apolline dextro

Editus, in claram te prodeat auspice lucem.

Hunc ego, cum lustris vix quatuor adderet vnum

Aetatis breue ver, gratum facturus HVRALTO

Collegæ; neque tam Musæo percitus æstro,

Quam precibus, magnoq. viri inflammatus amore,

Tandem post longos operisque viaque labores

Nuper Aquitanis sedeo dum lentus in oris,

Perduxi ad finem; sed non hac mente, per ora

N. iij

Docta virum posito volitaret vt ille pudore,
 Sed tacita chartas inter latitaret in vmbra
 Tutus ab inuidia stimulis linguæque veneno,
 Limatumque acris fugeret censoris acumen.
 Materies intacta quidem, at meliore poëta
 Digna seges sed quid culpam iam deprecor amens?
 Cum, si quid prave, vt sunt certe plurima, dictum
 Confictumque, negare meum nunc denique possim,
 Inficiatus opus, quod adhuc sine nomine circum-
 Fertur, & applausum meruit nihilominus, vt sunt
 Iudicia insulse laudantis scripta popelli.
 Ne tamen interea, dum quid maturius a me
 Exeat & dignum te vindice, rusticus ipse
 Aut minus obsequiosus amici ad iussa viderer,
 Hos ad te mitto, cui nil non debeo, versus;
 Queis ego de vita ratione & sine regendæ
 In somnis audita cano. vos cetera Musa
 Dicite, tuque adeo præsens ades ipse canenti.

Scilicet huc annus deuenimus, obuia in vtrum
 Scindat vbi dubium est Samij se littera callem.
 Heic gemina ante oculos nobis adstare puella
 Per somnum visa nuper, cum Solis in ortu
 Blanda quies; sed non Prodicus quas fabula finxit
 Alcidem vitæ dubium tenuisse viaque.
 Siderea hæc facie, atque oculis radiantibus, alto
 Fert celo caput, & solido vestigia firmat
 Stans immota solo, nullis obnoxia fatis:
 Exutoque leuis terrestri pondere, curas
 Exiit humanas, atque immortalia tentat.

Illa sed humano comptu, vultuque benigno,
 Feminea robur forma validosque lacertos
 Dissimulat, nostrosque iuuat miserata labores,
 Infra se positis satagens succurrere rebus,
 Compellatq. manu prensam. quid lumina ad illam
 Vertis hebes, quae te fugit, & pernicibus alis
 Despectas linquit terras, terraque colonos?
 Respice me, vel si potior te cura sororis
 Tangit, at omnino spretam ne desere; tempus
 Mox vehet hora suum, possit maturior aetas
 Quo melius verum amoto discernere velo,
 Et toto aetheriam moliri pectore vitam.
 Nunc animus freni impatiens, & ad omnia praeceps,
 Vernantique obstant turgentes sanguine venae.
 Nec fas insue sinunt, urbem quassante procella,
 Priuatas operas dum quisque in publica confert,
 Ad puppim commune extra te stare periculum.
 Tun' patria solus viuas securus in vrbe
 Mortaleis supra sapiens, communiaque asis
 Non minimi facias ingratus commoda cuius?
 Tun' latus, tristes alij? te nempe beato,
 Diuite te infelix plebes mendicet egensque?
 His ego per somnum dictis percussus, & ora;
 Ora verecundo paullum succensa calore
 Subueritus Diue; Quin te, quocumque vocaris,
 Nympha sequor; quando & priuatum non sinis, inquam,
 Dulcia cum placidis componere tempora Musis,
 Et tacito cecinisse mihi; trans lubrica vita
 Dux rege inoffensos tua per vestigia gressus.

Nympharefert. maeste hoc animo & virtute tibi que
 Non natum te crede vni: pars vna parentum est,
 Altera pars patria data, pars data tertia amicis,
 Vltima sola tua est: noli fraudare parentes,
 Non patriam, tibi qui vitamque laremque dederunt,
 Non ipsos, propter quos dulce est viuere, amicos.
 Sit meus iste labor, cupidum ne deuius error
 Plus in isto in scopulos, & saxa Capharea pellat.
 Vndique prerupto accessum male peruia aditur
 Virtus: allatratque illac canis, hac lupus vrget.
 Teque adeo totis animi contendere par est
 Viribus, vt medium ferias; nec ad ambitionem,
 Aut sordeis & auaritiā, turpeisque rapinas
 Fortuna, quacumque manet, contingat abuti.

Ergo age qui mecum generoso accensus amore
 Iam propriis felice alienos carpis honores;
 Quo patria valeas quondam inseruire saluti,
 Priuatimque iuuare, vicemque rependere gratus:
 Artibus his primum teneros puer imbue mores,
 Quae formas rerum aeternas, secretaque ab omni
 Materie mentis rimantur acumine signa;
 Metirique docent veris immensa figuris,
 Innumera & numero comprehendere corpora certo:
 Quo mens paullatim a terra grauibisque elementis
 Stelliferas euecta petat sublimior arces;
 Adspectuque boni summi spe plena fruatur,
 Et celsum ante Dei sensum perducta tribunal
 Aeterni iam nunc miretur iudicis ora.
 Id licet eximio Fidei sit munere nobis

Concessum,

Concessum, tamen à teneris humana colenda est
 Et subigenda annis natura; recalcitrat illa
 Quippe ferox, & mole sua se inuoluit, humique
 Adfligit secum diuinæ particulam auræ.
 Multi adeo CHRISTI nomenque fidemque professi
 Mentem iniuratam gestant, tam nomine tanto
 Digni, quam Cereris sacras contingere vittas
 Lais, in Isthmiacis notissima fabula ludis.
 Hi quamquam in CHRISTI faciant stipendia castris,
 Ordine deserto, litui simul intonat horror,
 Terga metu nudant; fugiendo denique malunt
 Vincti, pugnando pulcræ quam vincere pugnam,
 Transfuga & erroneus melius, qui prouidus herbas,
 Lata prius cultis mandat quam semina fulcis,
 Exirpabit agens ipsa ab radice nocentis.
 Tu quoque praua animi domina rationis aratro
 Inuerte, abque ima plantaria stirpe reuelle;
 Tum semente nouum generosi pectoris aruum
 Consere. sic cupidis nullo fors aspera casu
 Subscribet votis, & spes superabit auaras.
 Nempe via urbanos sic est sternenda ad honores,
 Vt, si non inuitus, at admittare rogatus,
 Sollicita ingratos subiturus mente labores.
 Hoc ita perficies, si te ad potiora parabis
 Semper, & his olim, quæ cernis & obuia palpas,
 Quali acunquæ ea sint, fasceis, sellæque curules,
 Et trabea, & quauis maior ceruice corona,
 Esse putes aliquid præstantius, & prece crebra
 Poscendum; si tu meliorem denique vitam

O

*Artibus his instructo animo praeceperis hac, quae
 Publica curat, & in rebus consistit agendis,
 Et clauo imperij belloque & pace regendo.
 Scilicet illa mihi vere respublica felix,
 In qua non gaza, non vestis diues & auri,
 Verum mentis opum, vitaeque probaque cataque
 Commissas rerum dominus moderatur habenas.
 At virtutis inops auidoque famelicus ore
 Deorat exhaustam confusis legibus urbem;
 Diuersisque trahit studiis pugnantia secum
 Vota hominum; & , priuata sibi dum commoda captat,
 Intestina ciet manifesta bella ruina.*

*Nunc praecepta animo, sapiens quae porticus edit,
 Insinua: sulcare puta te vasta profundi
 Aequora, dum viuis (crebris pulsata procellis
 Vita etenim, & magno turbarum fluctuat aestu.)
 Si quando in terram datur indulgente celestia
 Nauigio in tutum subducto excurrere, conchas
 Per litus legisse iuuat bulbosque virentis,
 Dum reditus sis vsque memor, neque longius erres;
 Cumque soluturus curua de puppe magister
 Dispersos noto socios clamore vocabit,
 Protinus in nauim redeas ac iussa capeffas,
 Ne desertorem nuda te linquat in acta.
 Paruus Hylas comes Alcida & gratissima cura
 Missus aquatum olim, dum longius errat, in vndis
 Obrutus interiit, frustra reuocante magistro:
 Ne fueris heic tu. Sin te maris horror & aestus
 Ignarum terrent; conuiuia finge parari*

Lata viris ac lauta cibus, interque rogatos
 Ex alto cenae patrem dare iura sodaleis.
 Heic nisi quod structor libandum porriget, aut rex
 Iusserit, ore caue attingas aut indice monstres;
 Quosque verecundis sineis praescripsit honestas
 Moribus, observa: sicut laudabere comis
 Conuiuia, & diuum mensis accumbere dignus,
 Dignus & aetheria recipi in consortia vite.

Hoc desideris prudentia Stoica frenum
 Imposuit. quid nos magni qui nomine CHRISTI
 Censemur? lex veridico iubet ore profecta
 Sic fluxus vitaeque bonis fallacibus vti,
 Vt longum per iter qui diuersoria mutant
 Sapius, & nunc his nunc oblectantur & illis,
 Ire tamen pergunt semper, nulloque morandi
 Prætextu interea cessant, dum sine beato
 Optatas tanquam sedes metamque laborum;
 Ne loti nimirum olim dulcedine capti
 Obliti reditus dominum frustrentur Vlycem,
 Nec nisi compedibus repetant salsa aquora adacti.
 Auctoramento liber, ludoque relicto
 Angusta salebras vitae superasse videtur
 Ille, sui dominus quisquis non crastina curat,
 Sed satur ac vitae plenus, vitaeque peracta
 Vixit adhuc, tempusque libens videt illud & æquo
 Fert animo elabi, quo nil iam pertinet ad se
 Præteritis lætum mora temporis vlla futuri,
 Quo placide inque alta tranquillius pace quiescat.
 Nunc ex aduerso cruciatus pone seueros,

Precipitique rota affixos Ixionis angueis.
 Ille animi cecus cum iam conuiuia Tonantis
 Confilius inter diuum temerarius esset,
 Cum nihil ad stultum posset satis esse furorem,
 Complexus tandem ambiuit Iunonis; at illi
 Obiecta illisit prudens Saturnia nube:
 Que feta atque hominis de semine turgida inani
 Depluit in terras noua robora Centaurorum.
 Si tectum excutias falsa sub imagine verum,
 Hoc patet exemplo, quid inanibus atque superbis
 Proficiat desideriis humana libido.
 Pro solido simulacra bono dat nempe fruenda,
 Somniaque, & variis spectra illudentia formis
 Externi obiectat cupidis plus mentibus aequo.
 Exitus ergo quis est? vano ambitiosus honori.
 Qui bona posthabuit veros tribuentia honores
 Effigies rerum externas amplexus & umbram,
 Aeternas luit erroris post funera poenas,
 Spesq. metusq. inter, dum vixit, pendulus, & nunc
 Aeternos rerum patitur miserabilis orbeis.

Altera nunc pestis superest (comes illa prioris,
 Fadior at longe & nostra exitiosior vrbi)
 Euellenda animo: manicis pedicisque rebelleis,
 Imperat illa etenim nisi seruir, comprime motus.
 Pone modum desideriis, & mentis in arcem
 Insultus contra hostileis te siste receptis
 Viribus. heic & opes aeternae, aurumque potentis
 Immortale Dei munus; ratione sed illud
 Seruandum custode datum est; ne scilicet aurum

Ingenium violet vilis mistura metalli,
 Et prauo tandem admistum contaminet usu:
 Impuroque adeo mens corrumpatur ab auro
 Diues opum, quas terra creat, caelestis at auri
 Prorsus inops, quod felicem dat viuere vitam.
 Nam vulgo ad fraudeis & crimina falsa; neceisque
 Vitimur humanis opibus. videntur ecce precantem
 Tendentemque manus, diuosque in vota vocantem,
 Ante aras Polydorum obtruncat perfidus hospes.
 Luxuriam reseca votorum: ni facis, addat
 Pluralicet fortuna petitis, plenus egebis
 Semper; nec, si te Pactoli riuus in auret,
 Et Tagus, & loto flauus de vellere Phasis,
 Ditioreuadas, quod enim satis, hoc & abunde est.
 Effluet heic quicquid mensuram infuderis extra,
 Et quasi diffusum pertusa in vasa peribit.
 Pelle sitim modico, vehemens ne seuiat, haustu:
 Quippe illam augebit potandi largior usus.
 Haud secus ac salsa rapido si Solis in aestu
 Restinxisse sitis properes incendia lympha.
 Otia, libertatem, aequaleis inter amicos,
 Et Musa mediocrem usum, quantumque salini
 Exigui satis est, an habenti deesse beate
 Ad viuendum olim quidquam queat? aspice iam nunc
 Quid velit haec curuis toties iactata theatris
 Vox coniurata pereuntis plebe tyranni:
 Hei miser a caris morior desertus amicis!
 Ille miser, sed enim multo infelicior ille,
 Qui nullum, turpis cum mors instaret, amicum

*Aut inimicum habuit, quamuis bis mille quadrigis
 Semper iter faceret, Romamque teneret opimam.
 At quemnam haud habiti panuria perdidit auri?
 Aut apud antiquos vbinam hac audita poetas?
 Immo audi potius, puerorum nania vulgo
 Quid moneat; non marmoreis domus alta columnis,
 Non ebore e niueo lecti; non stragula, gemma,
 Aspera non vasa ex auro, fundique patentes,
 Lataque nequidquam rumpentes horrea messes
 Exhilarant avidos tam claro lumine visus:
 Quam bene concordis inter conuictus amicos
 Communi mensa florens nec dispare cultu.*

*Has tibi opeis, miseris hac summa viatica rebus
 Congere, dum fas est, facili dum candida currunt
 Pensa manu, & longum non inuidet Atropos auum.
 Nil adeo fidos tibi amicos deerit habenti,
 Si quando insolitos moueat fortuna tumultus.
 Ast homines hodie nostri, proh tempora! iniqui,
 Qui bona conspiciunt oculis aliena malignis;
 Et, quantum accedit dignis, decedere tantum
 Atque perire sibi credunt, clamque arte dolosa
 Præripiunt aliis meritum virtute fauorem:
 Paucaque polliciti nec amico grata petenti
 Promissis minus exsoluunt. has scilicet artes
 Confinxit malesuadi amor insanabilis auri.
 Dixit: & obscura fugiens se condidit vmbra,
 Et me cum somno dilecta reliquit imago.*

*Hæc animum primis saepe inculcata sub annis
 Aut præcepta regent, aut non percepta nocebunt.*

Tu vero, tuus est qui, vir ter maxime, mentis
Candor, amicitia pro iure, & rebus agendis
Explorato usu, pro maiestate sedebis
Iudex, & dubiam mecum arbitrare litem:
Exemplone tuo tecum quoque grandia coner
Vtilis & patriæ carisque futurus amicis;
An tacitas inter silvas inglorius errem
Ipse mihi felix, nostra sed inutilis vrbi.

TO THE
T...
C...
L...
L...
V...
A...
I...